




Roprium **M**issarum

pro **V**enetiarum

Patriarchatu



Dirigatur, Domine,
oratio mea sicut
incensum in con-
spectu tuo.
(Ps. cxii.)



ECRETUM

enore præsentium declaramus hoc "PROPRIUM MISSARUM PRO VENETIARUM PATRIARCHATU" omnino respondere "PROPRIO OFFICIORUM" ad usum ejusdem Patriarchatus, a S. Sede Apostolica adprobato et benigne concesso; illudque, cum authenticis editionibus collatione rite peracta, typis imprimendi licentiam a Nobis concessam fuisse, ut ab omnibus hujus sanctæ Venetiarum Ecclesiæ Sacerdotibus legitime adhiberi, servatis tamen rubricis, possit et valeat.

In quorum fidem, etc.

Venetiis, ex ædibus nostræ residentiæ, die 21 Februarii 1916.

✠ PETRUS. Patriarcha

L. † S.

Can. A. Marchiori, *Cancellarius Patr.*



CALENDARIUM

Sanctae **P**atriarchalis, **P**rimatialis, **M**etropolitanae **E**cclēsiae **V**enetiarum.

Omnia ut in Calendario universalis Ecclesiae, exceptis diebus infra descriptis.

JANUARIUS

- 8 S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf. Patroni principalis Venetiarum. Duplex I classis cum Octava communi. Com. Octavae Epiphaniae.
- 9 De Octava Epiphaniae, Semiduplex. Com. Octavae S. Laurentii.
- 10 De Octava Epiphaniae, Semiduplex. Com. Octavae S. Laurentii.
- 11 De Octava Epiphaniae, Semiduplex. Com. Octavae S. Laurentii, ac S. Hygini Papae et Mart.
- 12 De Octava Epiphaniae, Semiduplex. Com. Octavae S. Laurentii.
- 13 Octava Epiphaniae, Duplex majus. Com. Octavae S. Laurentii.
- 14 S. Petri Urseoli Conf. (Dies ass. ex 10 hujus), Venetiarum Patroni min. princ. Duplex II classis. Com. S. Hilarii Ep., Conf. et Eccl. Doct. (Duplex), et S. Felicis Presb. et Mart.
- 15 Octava S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf., Duplex majus. Com. S. Mauri Abb.
- 19 S. Pauli primi Eremitae, Conf. (Dies ass. ex 15. hujus), Duplex. Com. Ss. Mariae et Socior. Mm., ac S. Canuti Regis Mart.
- 23 S. Joannis Eleemosynarii Ep. et Conf., Duplex. Com. S. Raymundi de Peñafort Conf. (Semiduplex), ac S. Emerentianae Virg. et Mart.
- 31 Translatio S. Marci Ev., Duplex majus. Com. S. Petri Nolasco Conf. (Duplex).

FEBRUARIUS

- 7 S. Theodori Heracleensis Mart., Venetiarum Patroni min. princ., Duplex majus. Com. S. Romualdi Abb. (Duplex).
- 13 Ss. Fuscae Virg. et Maurae Mm., Duplex.
- 19 S. Euthychii Ep. et Conf., Simplex.

MARTIUS

- 17 S. Patricii Ep. et Conf., Duplex. Com. S. Pauli Constantinopolitani Mart.
 19 S. Joseph. Sponsi B. Mariæ Virg., Conf. Venetiarum Patroni min. princ., Duplex II classis.
 25 Anñuntiatio B. Mariæ Virg., Patronæ principalis Venetiarum, Duplex I classis sine Octava in Quadrag., cum Octava communi vero extra Quadrag.
 31 Com. B. Bonaventuræ Tornielli Conf.

APRILIS

- 1 Extra Quadrages. - Octava Annuntiationis B. Mariæ Virg., Duplex majus.
 16 S. Isidori Mart., Duplex.
 25 S. Marci Ev., Titularis Basilicæ Patriarchalis et Patroni Principalis Venetiarum, Duplex I classis cum Octava communi.
 26 Ss. Cleti et Marcellini Pp. et Mm., Semiduplex. Com. Octavæ.
 27 De Octava S. Marci Ev., Semiduplex.
 28 S. Pauli a Cruce Conf., Duplex. Com. Octavæ, ac S. Vitalis Mart.
 29 S. Petri Mart., Duplex. Com. Octavæ.
 30 S. Catharinæ Senensis Virg., Duplex. Com. Octavæ, ac S. Donati Ep. et Conf.

MAJUS

- 2 Octava S. Marci Ev., Duplex majus.
 11 S. Athanasii Ep., Conf. et Eccl. Doct. (Dies ass. ex 2. hujus), Duplex.
 16 S. Joannis Nepomuceni Mart., Venetiarum Patroni min. princ., Duplex majus. Com. S. Ubaldi Ep. et Conf. (Semiduplex).
 20 S. Bernardini Senensis Conf., Venetiarum Patroni min. princ., Duplex majus.
 26 S. Philippi Nerii Conf., Venetiarum Patroni min. princ., Duplex majus. Com. S. Eleutherii Papæ et Mart.
 29 S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg., Semiduplex. Com. S. Maximi Ep. et Mart.
 31 B. Jacobi Salomonio Conf., Duplex. Com. S. Angelæ Mericiæ Virg. (Duplex), ac S. Petronillæ Virg.

JUNIUS

- 13 S. Antonii de Padua Conf., Venetiarum Patroni min. princ., Duplex majus.
 17 B. Petri de Pisis Conf., Duplex.
 18 B. Gregorii Barbarigo Ep. et Conf., Duplex. Com. Ss. Marci et Marcelliani Mm.
 25 Apparitio S. Marci Ev., Duplex majus. Com. S. Gulielmi Abb. (Duplex), et Octavæ.

JULIUS

- 3 S. Heliodori Ep. et Conf., Duplex. Com. Octavæ.
 12 Ss. Hermagoræ Ep. et Fortunati Diac. Mm., Venetiarum Patronorum min. princ., Duplex majus. Com. S. Joannis Gualberti Abb. (Duplex), ac Ss. Naboris et Felicis Mm.
 15 Ssmi Redemptoris, Duplex II classis. Com. S. Henrici Imperatoris et Conf. (Semiduplex).

- 17 S. Marinae Virg., Venetiarum Patronae min. princ., Duplex majus. Com. S. Alexii Conf. (Semiduplex).
 20 S. Hieronymi Emiliani Conf., Duplex majus. Com. S. Margaritae Virg. et Mart.
 22 S. Mariae Magdalenaee Pœnit., Duplex. Com. B. Augustini de Bugella Conf.
 27 S. Pantaleonis Mart., Simplex. Com. S. Hermolai Presb. et Mart.

AUGUSTUS

- 16 S. Rochi Conf., Venetiarum Patroni min. princ., Duplex II classis.
 17 S. Joachim Patris B. Mariae Virg., Conf. (Dies ass. ex 16. hujus), Duplex II classis. Com. S. Hyacinthi Conf. (Duplex), ac diei Octavae S. Laurentii.
 18 De Octava Assumptionis, Semiduplex. Com. S. Helenae Imperatricis, Vid., ac S. Agapiti Mart.
 26 B. Petri Acotanto Conf., Venetiarum Patroni min. princ., Duplex majus. Com. S. Zephyrini Papae et Mart.
 29 Decollatio S. Joannis Baptistae, Duplex majus. Com. S. Sabinae Virg., ac S. Sabinae Mart.

SEPTEMBER

- 1 B. Julianae de Collalto Virg., Duplex. Com. S. Aegidii Abb., ac Ss. Duodecim Fratrum Mm.
 2 S. Stephani Regis, Conf., Semiduplex. Com. S. Cosmae Eremitae, Conf.
 5 Cathedra S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf. Duplex majus. (In Bas. Metropoli. et in Bas. S. Petri Duplex II classis). Com. B. Gentilis a Mathelica, Mart.
 12 Ssmi Nominis Mariae, Duplex majus. Com. S. Niceti Nicomedien., Mart.
 15 Septem Dolorum B. Mariae Virg., Duplex II classis. Com. S. Nicetae Gothi Mart., ac S. Nicomedis Mart.
 17 Impressio sacrorum Stigmatum S. Francisci Conf., Duplex. Com. S. Tarasii Eremitae, Conf.
 23 S. Lini Papae et Mart., Semiduplex. Com. S. Constantii Conf., ac S. Theclae Virg. et Mart.
 24 S. Gerardi Sagredo Ep. et Mart., Duplex majus. Com. B. Mariae Virg. de Mercede (Duplex majus).

OCTOBER

- 2 Ss. Angelorum Custodum, Duplex majus. Com. S. Lizerii Mart.
 4 S. Francisci Conf., Venetiarum Patroni min. princ., Duplex majus.
 6 S. Magni Ep. et Conf., Venetiarum Patroni min. princ., Duplex majus. Com. S. Brunonis Conf. (Duplex).
 8 Dedicatio Basilicae Patriarchalis, Duplex I classis cum Octava communi. Com. S. Birgittae Vid. (Duplex).
 9 Ss. Dionysii Ep., Rustici et Eleutherii Mm., Semiduplex. Com. Octavae.
 10 S. Francisci Borgia Conf., Semiduplex. Com. Octavae.
 11 De Octava Dedicacionis, Semiduplex.
 12 De Octava Dedicacionis, Semiduplex.

- 13 S. Eduardi Regis, Conf., Semiduplex. Com. Octavæ
 14 S. Callisti I Papæ et Mart., Duplex. Com. Octavæ.
 15 Octava Dedicacionis Basilicæ Patriarchalis, Duplex majus. Com. S. Teresiæ Virg. (Duplex).

NOVEMBER

- 5 S. Zachariæ Patris S. Joannis Bapt., Conf., Duplex. Com. Octavæ.
 6 Sacrarum Reliquiarum quæ in Ecclesiis Diceceseos asservantur Duplex majus. Com. Octavæ.
 9 Dedicatio Archibasilicæ Ssmi Salvatoris, Duplex II classis.
 10 S. Theodori Mart., Venetiarum Patroni min. princ. (Dies ass. ex 9. hujus), Duplex II classis. Com. S. Andreæ Avellini Conf. (Duplex), ac Ss. Tryphonis et Socior. Mm.
 21 Præsentatio B. Mariæ Virg., Duplex II classis.

DECEMBER

- 2 S. Aniani Ep. et Conf., Duplex. Com. S. Bibianæ Virg. et Mart. (Semiduplex).
 4 S. Barbaræ Virg. et Mart., Duplex. Com. S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct. (Duplex).
 5 S. Sabbæ Abb., Duplex.
 13 S. Lucie Virg. et Mart., Duplex majus. Com. Octavæ.
 14 B. Joannis Marinoni Conf., Duplex. Com. Octavæ.





PROPRIUM MISSARUM

PRO

VENETIARUM PATRIARCHATU

FESTA DECEMBRIS

DIE 2 DECEMBRIS

S. ANIANI Ep. et Conf.

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont., præter Orationem sequentem.

Oratio

MAjestátem tuam, Dómine, suppliciter exorámus: ut, sicut hodiérna beáti Aniani Confessoris tui atque Pontificis festivitáte gaudémus; ita júgiter illius apud te précibus adjuvémur: Per Dóminum.

Et fit comm. S. Bibiánæ Virg. et Mart., ut in Missali, ac Feriæ, si venerit in Adventu.

DIE 4 DECEMBRIS

S. BARBARÆ

Virg. et Mart.

Missa Loquébar, de Comm. præter Orationem sequentem.

Oratio

INtercèssio, quæsumus, Dómine, beátæ Bárbaræ Virginitis et Mátyris tuæ ab omni nos adversitáte prótegat: ut per ejus intervéntum, gloriosíssimum sacrosánci cörperis et sánguini Dómini nostri Jesu Christi Sacraméntum, ante diem éxitus nostri, per veram poeniténtiam et puram confessiónem percípere mereámur: Qui tecum vivit et regnat.

Et fiunt comm. S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct., ut in Missali, nec non Feriæ.

DIE 5 DECEMBRIS

S. SABBÆ Abbatis

Missa Os justi, de Comm. Abbatum, præter Orationem sequentem.

Oratio

ADsit nobis, quæsumus, Dómine, beáti Sabbæ Abbátis sancta præcátio: quæ nos, a terrénis afféctibus incessánte expédíat; et cæléstia desidéria perfíciat. Per Dóminum.

Et fit comm. Feriæ.

DIE 14 DECEMBRIS

B. JOANNIS MARINONI,
Confessoris

Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem sequentem.

Oratio

Domine Jesu Christe, qui beátum Joánnem Confessórem tuum per assíduam passiónis tuæ contemplatióne imitatórem tui exímium effecísti: ipsíus, quæsumus, intercessióne

concéde; ut, ejúsdem vestígiis inhæréntes, passiónis tuæ fructum percípere valeámus. Qui vivis.

Et fiunt comm. Octavæ Conceptionis Immaculatæ B. Mariæ Virg., et Feriæ. Dicitur etiam Credo, nec non Præfatio de eadem Octava.

FESTA JANUARIJ

DIE 8 JANUARIJ

IN FESTO

S. LAURENTII JUSTINIANI

Episcopi et Confessoris
Protopatriarchæ et Compatri
Principalis Venetiarum

Introitus Ps. 131.



SAcerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui.

Ps. ibid. Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

Y. Glória Patri.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Lauréntii Confessóris

tui atque Pontíficis, cujus gaudémus méritis, instruámur exémpis atque doctrínis. Per Dóminum.

Et fit comm. Octavæ Epiphaniæ, ut in Missali.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. c. 8.

Sapiéntiam amávi, et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illius. Generositátem illius gloríficat, contubérnium habens Dei, sed et ómnium Dóminus diléxit illam. Doctrix enim est disciplínæ Dei, et eléctrix óperum illius. Et si divítiæ appetúntur in vita, quid sapiéntia locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus operátur, quis horum, quæ sunt, magis quam illa est ártifex? Et si justítiam quis díligit, labóres hujus magnas habent virtútes: sobrietátem enim et prudéntiam docet, et justítiam et virtútem, quibus útilius nihil est in vita homínibus.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuít Deo.

Ÿ. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. Ÿ. Osée 14. Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 11.

In illo témpore: Dixit Jesus discípuis suis: Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio: sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Lucérna córporis tui est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit; si autem nequam fúerit, etiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, ténebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te.

Credo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia

mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Sancti Lauréntii Confessoris tui atque Pontificis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis officia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátia tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Præfatio et Communicántes de Epiphania.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constituit Dóminus super familiam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Quos cælésti alimónia satiásti, quæsumus, omnípotens Deus: ut ad imitatiónem beáti Lauréntii Confessoris tui atque Pontificis, eos fácias próspéra mundi despícere, et veram sapiéntiam, quam amávit, quærere et inveníre. Per Dóminum.

DIE 14 JANUARIII

IN FESTO

S. PETRI URSEOLI,

Ducis et Monachi, Conf.,

Venetiarum Patroni

Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem sequentem.

Oratio.

DEus, qui beátum Petrum ducem cælésti regno terrenum postpónere docuísti: da nobis, quæsumus, ejus intercessióne et exémplo, terréna despícere, atque æténa sectári. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Hilárii Ep., Conf. et Eccl. Doct. Orationes dicuntur ut in Missa In medio, de Comm. Doctorum.

Deinde in Missa privata comm. S. Felícis Presb. et Mart., ut in Missali.

Evangelium Ecce nos reliquimus, de Comm. Abb.

Dicitur Credo, ratione Octavæ, nec non Duplicis commemorati.



DIE 23 JANUARIi

S. JOANNIS Eleemosynarii,
Ep. et Conf.

Introitus Ps. 111.

Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltabitur in glória.

Ps. 40. Beátus, qui intelligit super egénium et páuperem: in die mala liberábit eum Dóminus.

V. Glória Patri.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum atque Pontíficem insignis in páuperes misericórdiæ virtúte decorásti: quæsumus; ut in omnes, qui te deprecántur, divítias misericórdiæ tuæ benígnus effúndas. Per Dóminum.

Et fiunt comm. S. Raymúndi de Peñafort Conf., et S. Emerentiánæ Virg. et Mart., ut in Missali.

Léctio libri Tobíæ. c. 4.

EX substántia tua fac eleemósynam, et noli avértere fáciem tuam ab

ullo páupere: ita enim fiet, ut nec a te avertátur fácies Dómini. Quómodo potúeris, ita esto miséricors. Si multum tibi fúerit, abundánter tribue: si exíguum tibi fúerit etiam exíguum libénter impertíri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitátis. Quóniam eleemósyna ab omni peccáto, et a morte liberat, et non patiéetur ánimam ire in ténebras. Fidúcia magna erit coram summo Deo eleemósyna ómnibus faciéntibus eam.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.

V. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. V. Ps. 111. Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 111. Beátus vir qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. V. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectó-

rum benedicetur. *V.* Glória et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sæculum sæculi.



Sequéntia sancti Evangelii secúndum Lucam. c. 6.

IN illo tēpore: Dixit Jesus discipulis suis: Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Nolite judicare, et non judicabimini: nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittēmini. Date, et dābitur vobis: mensuram bonam, et confertam, et coagitātam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eādē quippe mensura, qua mensi fueritis, remetiētur vobis.

Offertorium. Ps. 88. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique lætificent: ut, dum eorum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fidelis servus et prudens quem constituit Dóminus super familiam suam: ut det illis in tēpore tritici mensuram.

Postcommunio

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedente beáto Joánne Confessore tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

DIE 31 JANUARIi

In Translatione

S. MARCI EVANGELISTÆ

Venetiarum Patroni Principalis

Introitus Ps. 138.



MIhi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

Ps. ibid. Domine, probasti me, et cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

V. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui famulos tuos pretiosis beati Marci Evangelistæ exuviis mise-

ricórditer ditáre voluísti; præsta, quæsumus, ut sicut hódie ejus córporis Translatiónem venerádo recólimus, ita ipsíus in cælis beatitúdini adjúngi mereámur. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Petri ^{10. JANUARI} Nólasci Conf., ut in Missali.

Léctio Ezechiélis Prophætæ. c. 1.

Similitúdo vultus quatuor animálium: fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quatuor: fácies autem bovis a sinístris ipsórum quatuor, et fácies áquilæ désuper ipsórum quatuor. Fácies eórum et pennæ eórum exténtæ désuper: duæ pennæ singulórum jungébántur, et duæ tegébant córpora eórum: et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat: ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur cum ambulárent. Et similitúdo animálium, aspéctus eórum quasi carbónum ignis ardéntium, et quasi aspéctus lampadárum. Hæc erat visio discúrrens in médio animálium, splendor ignis,

et de igne fulgur egrédiens. Et animália ibant, et revertebántur in similitúdinem fúlgoris coruscántis.

Graduale. Ps. 44. Constitues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. *V.* Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: propterea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja. *V.* Ps. 138. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur Tractus. Ps. 125. Qui sémant in lácrymis, in gáudio metent. *V.* Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. *V.* Veniéntes autem vénient cum exsultatióne portántes manipulos suos.

 Sequéntia sancti Evangelíi secúndum Marcum. c. 16.

In illo témpore: Dixit Jesus discíplis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evan-

gélium omni creatúræ. Qui crediderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnábitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejicient: linguis loquéntur novis: serpéntes tollent: et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Credo.

Offertorium. Ps. 18. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta

BEáti Marci Evangelístæ tui solemnitáte, tibi múnera deferéntes, quæsumus, Dómine: ut, sicut illum prædicátio evangélica fecit gloriósum, ita nos ejus intercessio, et verbo, et ópere tibi reddat accéptos. Per Dóminum.

Præfatio Apostolorum.

Communio. Matth. 19. Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israel.

Postcommunio

TRíbuant nobis, quæsumus, Dómine, contínuum tua sancta præsidium, quo, beáti Marci Evangelístæ tui précibus, nos ab ómnibus semper tueámur advérsis. Per Dóminum.

FESTA FEBRUARII

DIE 7 FEBRUARII

S. THEODORI

Ductoris Militum

Heracleæ in Ponto, Mart.,

Venetiarum Patroni

Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. non Pont., 1. loco, præter Orationem sequentem.

Oratio

Concède nobis, omnipotens et miséricors Deus: ut beáti Theodóri Mártyris tui copiósá victória sicut ei perpétuum dedit triúmphum, ita nobis contínuum præstet auxílium. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Romuáldi Abbatis. Orationes dicuntur ut in Missa Os justi, de Comm. Abbatum. Si venerit in Quadragesima fit etiam comm. Feriæ.

DIE 13 FEBRUARII
Ss. FUSCÆ Virg. et MAURÆ
Martyrum

Introitus Ps. 107.



DA nobis, Deus, auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis: in Deo faciemus virtutem; et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

Ps. ibid. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo et psallam in gloria mea.

V. Gloria Patri.

Oratio

DA nobis, quæsumus, Domine Deus noster, beatarum Fuscae Virginis et Mauræ Martyrum tuarum palmas incessabili devotione venerari: ut, quas digna mente celebrare non possumus, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

In Quadragesima fit comm. Feriæ.

Lectio Epistolæ beati Pauli
Apóstoli ad Corínthios.

2. Cor., 4.

FRatres: Deus illuxit in cordibus nostris ad il-

luminatióem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesáurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatió-nem pátimur, sed non angustiámur; aporiámur, sed non destitúimur; persecutió-nem pátimur, sed non derelinquimur; dejícimur, sed non perimus; semper mortificatió-nem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Propter quod non defici-mus; sed licet is qui foris est noster homo corrupátur, tamen is qui intus est renovátur de die in diem. Id enim, quod in præ-sénti est momentáneum et leve tribulatió-nis nostræ, supra modum in sublimi-táte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis.

Graduale. Ps. 59. Da nobis, Deus, auxilium de tri-

bulatióne, quia vana salus hóminis. *V.* In Deo faciémus virtútem; et ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

Allelúja, allelúja. *V.* Apoc. 7. Venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Allelúja.

¶ Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 65. Probásti nos, Deus, igne nos examinásti sicut examinátur argéntum. *V.* Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro, imposuísti hómines super cápita nostra. *V.* Transívimus per ignem et aquam, et eduxísti nos in refrigérium.

¶ Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. *V.* Apoc. 7. Venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Allelúja. *V.* Apoc. 12. Non dilexérunt ánimas suas us-

que ad mortem; proptérea lætámmini cæli, et qui habitátis in eis. Allelúja.

✠ Sequéntias sancti Evangelii secúndum Matthæum. Cap. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discíplis suis parabolam hanc: Símile est regnum cælórum thesauro abscondito in agro; quem qui invénit homo abscondit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómini negotiátóri, quærénti bonas margarítas; invénta autem una pretiósá margaríta, ábiit, et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti; quam, cum impléta esset, educéntes et secus litus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem forás misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum. Et mittent eos in camínium ignis: ibi erit fle-

tus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo ómnis scriba doctus in regno cælórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium. Ps. 104. Quærite Dóminum, et confirmámini; quærite fáciem ejus semper.

Secreta

INténde, quæsumus, Dómine, múnera altáribus tuis pro beatárum Fuscæ Vírginis et Máuræ Mátyrum tuárum, honóre propósita: ut, sicut per hæc sacra mystéria illis glóriam contulísti; ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Communio. Matth. 13. Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro; quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illius vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum.

Postcommunio

PRæsta nobis, quæsumus, Dómine, intercedéntibus beátis Fusca Ví-

gine et Máura Mátyribus tuis: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus Per Dóminum.

DIE 19 FEBRUARII

In Inventione

S. EUTYCHII Constantino-
politani, Ep. et Conf.

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont., 2. loco, præter Orationem sequentem.

Oratio

Concède nobis, omnipotens Deus: beati Eutýchii Confessóris tui atque Pontíficis et exultáre méritis, et beneficia reférre suffrágiis. Per Dóminum.

¶ Ante Quadragesimam, ad poscenda suffragia Sanctorum dic. 2. Oratio A cunctis, 3. ad libitum.



FESTA MARTII

DIE 17 MARTII

Pro Commemoratione

S. PAULI Constantinopolitani.
Martyris

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Pauli Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne, liberémur. Per Dóminum.

Secreta

MUnéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque susceptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Postcommunio

DA, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum, temporáli gratulámur officio; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

DIE 31 MARTII

Pro Commemoratione

B. BONAVENTURÆ TOR-
NIELLI, Confessoris

Oratio

DEus, qui beáto Bona-
ventúræ Confessóri


tuo tribuísti, ut ad poeniténtiam peccatóres revocáret: concéde nobis, ejus méritis et intercessióne, ita peccáta nostra deflere; ut, mente ac spíritu renováti, tibi sincéram servitútem usque ad mortem exhibére valeámus. (Per Dóminum).

Secreta

CLementíssime Pater, placatiónis Hóstiam, quam in festivitáte beáti Bonaventúræ Confessóris tibi offérimus, propítius intuére: et servos tuos, ipso deprecánte, ab omni culpárum labe purífica. (Per Dóminum).

Postcommunio

QUæsumus, omnípotens Deus: ut cæléstia sacraménta quæ sumpsimus, beáto Bonaventúra Confessóre tuo intercedente, et nos in caritate confirmet, et ad promíssa perducant sempitérna. (Per Dóminum).



FESTA APRILIS

DIE 16 APRILIS

In Translatione
S. ISIDORI CHIENSIS,
Martyris


IN Quadragesima Missa
In virtúte, de Comm.
uníus Mart. non Pont., 1.
loco, præter Orationem se-
quentem. Si autem celebre-
tur Tempore Paschali, di-
citur Missa Protexísti, de
Comm. uníus Mart., pariter
præter Orationem sequen-
tem.

In Patriarchali Basilica
dicitur Credo.

Oratio

LÆta nos, quæsumus,
Dómine, beáti Isidóri
Mártyris tui festívitás sem-
per excípiat, quæ et jucun-
ditátem nobis suæ glorifi-
cátionis infúndat, et tibi
nos reddat accéptos. Per
Dóminum.

In Quadragesima fit
comm. Feriæ.



DIE 25 APRILIS

IN FESTO

S **M** **A** **R** **C** **I** **G** **V** **A** **N** **G** **E** **L** **I** **S** **T** **Æ**

TITULARIS

B **a** **s** **i** **l** **i** **c** **æ** **P** **a** **t** **r** **i** **a** **r** **c** **h** **a** **l** **i** **s**, **P** **r** **i** **m** **a** **t** **i** **a** **l** **i** **s**, **M** **e** **t** **r** **o** **p** **o** **l** **i** **t** **a** **n** **æ**

et

P **a** **t** **r** **o** **n** **i** **P** **r** **i** **n** **c** **i** **p** **a** **l** **i** **s** **V** **e** **n** **e** **t** **i** **a** **r** **u** **m**



Introitus Ps. 63.

Rotexisti me,
Deus, a convén-
tu malignántium,
allelúja: a multi-
túdine operántium iniqui-
tátem, allelúja, allelúja.

Ps. ibid. Exáudi, -Deus,
oratióem meam cum dé-
precor: a timóre inimíci
éripe ánimam meam.

Y. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui beátum Mar-
cum Evangelístam
tuum evangélicæ prædica-
tiónis grátia sublimásti:
tribue, quæsumus: ejus nos
semper et eruditióné profí-
cere, et oratióne deféndi.
Per Dóminum.

Léctio Ezéchielis Prophé-
tæ. c. 1.

Similitúdo vultus quá-
tuor animálium: fácies
hóminis, et fácies leónis a
dextris ipsórum quátuor,
fácies autem bovis a siní-
stris ipsórum quátuor, et
fácies áquilæ désuper ipsó-

rum quátuor. Fácies eórum, et pennæ eórum exténtæ désuper: duæ pennæ singulórum jungébántur, et duæ tegébant córpora eórum: et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat: ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertébántur cum ambulárent. Et similitúdo animálium, aspéctus eórum quasi carbónum ignis ardéntium, et quasi aspéctus lampadárurum. Hæc erat visio discúrrens in medio animálium, splendor ignis, et de igne fulgur egrédiens. Et animália ibant, et revertébántur in similitúdinem fúlguris coruscántis.

Allelúja, allelúja. *Ps.* 88. Confitebúntur cæli mirabilia tua, Dómine; étenim veritátem tuam in Ecclésia sanctórum. Allelúja. *Ps.* 20. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangelii secúndum Marcum. c. 16.

IN illo témpore: dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum uni-

vérsum, prædicáte Evangelium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient: linguis loquéntur novis: serpéntes tollent: et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Credo.

Offertorium. *Ps.* 88. Confitebúntur cæli mirabilia tua, Dómine: et veritátem tuam in Ecclésia sanctórum, allelúja.

Secreta

BEáti Marci Evangelístæ tui solemnité, tibi múnera deferéntes, quæsumus, Dómine: ut, sicut illum prædicátio evangélica fecit gloriósum: ita nos ejus intercéssio et verbo, et ópere, tibi reddat accéptos. Per Dóminum.

Præfatio Apostolorum.

Communio. *Ps.* 63. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et lauda-

búntur omnes recti corde,
allelúja, allelúja.

Postcommunio

TRÍbuant nobis, quæsu-
mus, Dómine, conti-
num tua sancta præsi-
dium: quo beáti Marci E-
vangélistæ tui précibus, nos
ab ómnibus semper tueán-
tur advérsis. Per Dóminum.

¶ Infra annum, pro Missa
votiva S. Marci Ev. dicitur
Missa ut in Translatione
ejusdem, die 31 Januarii,
12, præter Orationem Deus,
qui beátum Marcum, ut su-
pra in Festo.

FESTA MAJI

DIE 16 MAJI

S. JOANNIS NEPOMUCENI,

Presb. et Mart.,

Cleri et Civitatis Venetiarum

Patroni

Introitus Eccli. 51.

Dedit mihi Dómi-
nus linguam mer-
cédem meam: et in
ipsa laudábo eum.

(T. P. Allelúja, allelúja.)

Ps. 38. Díxi: Custódiam
vias meas, ut non delín-
quam in lingua mea.

Ÿ. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui ob invíctum
beáti Joánnis sacra-
mentále siléntium nova Ec-
clésiám tuam martýrii co-
róna decorásti: da, ut ejus
exémpló et intercessióne,
ori nostro custódiam po-
néntes, beátis, qui lingua
non sunt lapsi, annumeré-
mur. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Ubáldi
Ep. et Conf., ut in Missali.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 21.

STultus a fenéstra respí-
ciet in domum: vir
autem erudítus foris stabit.
Stultítia hóminis auscul-
táre per óstium: et pru-
dens gravábitur contumé-
lia. Lábía imprudéntium
stulta narrábunt: verba au-
tem prudéntium statéra
ponderabúntur. In ore fa-
tuórum cor illórum: et in
corde sapiéntium os illó-
rum. Dum maledícit ímpius
diábolum, maledícit ipse á-
nimam suam. Susúrro coin-
quinábit ánimam suam, et
in ómnibus odiétur: et qui
cum eo mánsarit, odiósus
erit: táctus, et sensátus
honorábitur.

Tempore Paschali :

Allelúja, allelúja. *V.* Eccli. 25. Beátus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indignis se. Allelúja. *V.* Prov. 10. Lingua pravórum períbit: lingua autem sapiéntium est sánitas. Allelúja.

Extra tempus Paschale:

Graduale. Prov. 11. Qui ámbulat fraudulénter, revelat arcána: qui autem fidélis est ánimi, celat. *V.* Ps. 14. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo, aut quis requiéscet in monte sancto tuo? Qui non egit dolum in lingua sua: nec fecit próximo suo malum.

Allelúja, allelúja. *V.* Eccli. 25. Beátus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indignis se. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Jac. 1. Si quis putat se religiósus esse, non refrénans linguam suam, sed sedúcens cor suum: hujus vana est re-

ligio. *V.* Ibid. 3. Si quis in verbo non offéndit, hic perféctus est vir. *V.* Ibid. Omnis enim natúra bestiárum domántur, et dómita sunt a natúra humana: linguam autem nullus hóminum domáre potest.



Sequéntia sancti Evangelíi secúndum Matthæum. Matth. 11.

IN illo témpore: Cum audisset Joánnes in vínculis ópera Christi, mittens duos de discíplis suis, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium expectámus? Et respóndens Jesus, ait illis: Eúntes renuntiáte Joánni, quæ audístis et vidístis. Cæci vident, cláudi ámbulant, leprósi mundántur, surdi áudiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evangelizántur: et beátus est, qui non fúerit scandalizátus in me. Illis autem abeúntibus cœpit Jesus dicere ad turbas de Joánnis: Quid exístis in desértum vidére? arúndinem vento agitátam? Sed quid exístis vidére? hóminem móllibus vestítum? Ecce qui móllibus vestiúntur, in dómibus re-

gum sunt. Sed quid existis videre? prophétam? Etiam dico vobis, et plus quam prophétam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciém tuam, qui præparábit viam tuam ante te.

Offertorium. Eccli. 42. Non dúplices sermónem de revelatióne sermónis absconditi, et eris vere sine confusióne: et invénies grátiam in conspéctu ómnium hóminum. (T. P. Allelúja).

Secreta

HÆc tua, Dómine, sacra mystéria illum in nobis, quæsumus, ignem accendant: quo ínclytus Martyr et Sacérdos tuus Joánnes, ea peragéndo, flagrabat. Per Dóminum.

Communio. Is. 6. Volávit ad me unus de Séraphim: et in manu ejus cálculus, quem túlerat de altári, et tétigit os meum. (T. P. Allelúja).

Postcommunio

FRagilitátem nostram, Dómine, cæléstis hæc mensa fórtium pane confír-

met: qui beáti Mártyris et Sacerdótis tui Joánnis tentátam contra honórem sacraménti constántiam, júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.

DIE 31 MAJI

B. JACOBI SALOMONIO,
Confessoris

Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem sequentem.

Oratio

INtercessio nos, quæsumus, Dómine, beáti Jacóbi Confessóris tui votíva confóveat: ut ejus sacráta natalítia et temporáliter frequentémus, et conspiciámus ætérna. Per Dóminum.

Et fiunt comm. S. Angelæ Mericiæ Virg., et S. Petronillæ Virg., ut in Missali.



Feria VI

post Octavam SS. Corporis Christi

IN FESTO

SACRATISSIMI CORDIS JESU

Introitus Cant. 3.



Gredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomónem in diadematē, quo coronávit illum ma-

ter sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus.

Ps. 44. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

℣. Glória Patri.

Oratio

FAc nos, Dómine Jesu, sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et afféctibus inflammári: ut, et imáginí bonitátis tuæ confórmes, et tuæ redemptiónis mereámur esse partícipes: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Ephes. 3.

FRatres: Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti absconditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit. Hújus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis, et in terra nomináitur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per

Spíritum ejus in interiorem hóminem: Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritaté radicáti et fundáti, ut possítis comprehendere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublimitas, et profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritatém Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Graduale. Matth. 21. Dícite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuétus.

℣. Is. 42. Non erit tristis, neque turbuléntus: non clamábit, nec audiétur vox ejus foris.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 11. Dícite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam dicitur

Graduale. Ps. 68. Improperium exspectávit cor meum, et misériam: et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit: et qui consolarétur, et non invéni.

Tractus. Ps. 21. Ego autem sum vermis, et non

homo: oppróbrium hómi-
num, et abjéctio plebis. *V.*
Omnes vidéntes me, deri-
sérunt me: locúti sunt lá-
biis, et movérunt caput. *V.*
Sicut aqua effúsus sum, et
dispérsa sunt ómnia ossa
mea: factum est cor meum
tamquam cera liquéscens
in médio ventris mei.

Tempore Paschali:

Allelúja, allelúja. *V.* Ps.
29. Dómine Deus meus,
clamávi ad te, et sanásti
me: eduxísti ab inférno
ánimam meam. Allelúja. *V.*
Convertísti planctum me-
um in gáudium mihi: con-
scidísti saccum meum, et
circumdedísti me lætítia.
Allelúja.



Sequéntia sancti E-
vangélii secúndum
Joánnem. Joann. 15.

IN illo témpore: Dixit Je-
sus discíplis suis: Sicut
diléxit me Pater, et ego
diléxi vos. Manéte in dilec-
tíone mea. Si præcépta mea
servavéritis, manébitis in
dilectíone mea, sicut et ego
Patris mei præcépta ser-
vávi, et máneo in ejus di-

lectíone. Hæc locútus sum
vobis: ut gáudium meum
in vobis sit, et gáudium
vestrum impleátur. Hoc est
præcéptum meum, ut dili-
gátis invicem, sicut diléxi
vos. Majórem hac dilectíonem
nemo habet, ut áni-
mam suam ponat quis pro
amícis suis. Vos amíci mei
estis, si fecéritis quæ ego
præcípio vobis. Jam non
dicam vos servos: quia
servus nescit quid fáciat
dóminus ejus. Vos autem
dixi amícos: quia ómnia
quæcúmque audívi a Patre
meo, nota feci vobis. Non
vos me elegístis, sed ego
eléxi vos, et pósui vos, ut
eátis, et fructum afferátis:
et fructus vester máneat:
ut quodcúmque petiéritis
Patrem in nómine meo, det
vobis.

Credo.

Offertorium. 1. Par. 29.
Dómine Deus, in simplici-
táte cordis mei lætus óbtuli
univérsa: et pópulum tuum
vidi cum ingénti gáudio tibi
offérre donária: Deus I-
sraël, custódi hanc volun-
tátem cordis eórum, alle-
lúja.

Secreta

Illo nos igne, quæsumus, Dómine, Spíritus sanctus inflámmet, quem Dóminus noster Jesus Christus e penetrálibus Cordis sui misit in terram, et vóluit veheménter accénderi: Qui tecum vivit.... in unitáte ejúsdem.

Præfatio de Nativitate Domini. Et dicitur etiam in Missis votivis a Dominica SS. Trinitatis usque ad Septuagesimam. A Septuagesima vero usque ad Pentecosten, Præfatio dicitur de Cruce.

Communio. Ps. 33. Gustáte, et vidéte, quóniam suávis est Dóminus: in ætérnum misericórdia ejus, allelúja.

Postcommunio

PRæbeant nobis, Dómine Jesu, divinum tua sancta fervórem: quo dulcíssimi Cordis tui suavitate percépta, discámus terréna despícere, et amáre cælestia: Qui vivis.



FESTA JUNII

DIE 17 JUNII

B. PETRI de Pisis, Confessoris

Introitus

Ps. 54.



Cce elongávi fugiens; et mansi in solitúdine. Expectábam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitáte spíritus, et tempestáte.

Ps. 41. Quemádmódum desiderat cervus ad fontes aquárum, ita desiderat ánima mea ad te, Deus.

Y. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui beátum Petrum novi órdis institutórem, mundi contéptu, et solitúdinis amore claréscere fecisti: tribue nobis ejus inhærére vestigiis et patrocíniis adjuvári. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beati Pauli Apóstoli ad Philipéenses. c. 4.

FRatres: Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione petitió-

nes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra, et intelligéntias vestras in Christo Jesu. De cétero, fratres, quæcúmque sunt vera, quæcúmque pudíca, quæcúmque justa, quæcúmque sancta, quæcúmque amabilia, quæcúmque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte. Quæ et didicístis, et accepístis, et audístis, et vidístis in me, hæc ágite: et Deus pacis erit vobiscum.

Graduale. Gal. 6. Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. *V.* Quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos et misericórdia.

Allelúja, allelúja. *V.* Coloss. 3. Mórtui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparúerit, vita vestra: tunc et vos apparébitis cum ipso in glória. Allelúja.

Post Septuagesimam, et Tempore Paschali dicuntur Graduale, Tractus, et Versus ut in Missa Justus.

 Sequéntia sancti Evangelii secúndum Matthæum. Matth. 19.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum sederit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Offertorium. Ps. 115. Dirupísti víncula mea, tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Secreta

OFFeréntes sacrificium salútis in honórem

beáti Petri, te, Dómine, suppliciter exorámus, ut ex ejus imitatione, etiam corpora nostra, hóstiam vivéntem, sanctam et tibi placéntem júgiter exhibeámus. Per Dóminum.

Communio. Ps. 30. Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondísti timéntibus te!

Postcommunio

SAcraménta, quæ súmpsimus, Dómine Deus noster, beáti Petri solémnia celebrántes: eam nobis cónferant virtútem, qua terréna ómnia despícere, et cæléstia solum appétere valeámus. Per Dóminum.

DIE 18 JUNII

B. GREGORII BARBARIGO,
Ep. et Conf.

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont., præter Orationes sequentes.

Oratio

DEus, qui beátum Gregórium, Confessórem tuum, atque Pontíficem, pastoráli sollicitúdine, et páu-

perum miseratióne claréscere voluísti: concéde propítius; ut, cujus mérita celebrámus, caritátis imitémur exémpla. Per Dóminum.

Et fit comm. Ss. Marci et Marcelliáni Mm., ut in Missali.

Secreta

OBláta tibi, Dómine, sacri dona mystérii, beáti Gregórii méritis ac suffrágiis, accépta reddántur, et plenum opérentur in nobis divínæ virtútis efféctum. Per Dóminum.

Postcommunio

QUæsumus, omnípotens Deus; ut, sicut beáto Gregório, Confessóri tuo atque Pontífici, divini Pastóris formam imitári tribuísti; ita nos, ejus imitatione, dignos efficias, qui inter oves páscuæ tuæ perpétuo collocémur. Per Dóminum.

DIE 25 JUNII

In Apparitione

S. MARCI EVANGELISTÆ
Venetiarum Patroni Principalis

Missa ut in Festo Translationis ejusdem, die 31

Januarii, 12, præter Orationem sequentem.

Oratio

FAC nos, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, in revelatiõne sempiternæ gloriæ tuæ cum beato Marco Evangelista gaudere lætantes, cujus ossa veneranda nobis in terris mirabiliter revelasti. Per Dóminum.

Et fiunt comm. S. Gulielmi Abb., et Octavæ S. Joannis Baptistæ, ut in Missali.

FESTA JULII

DIE 3 JULII

S. HELIODORI Ep. et Conf.

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont., præter Orationem sequentem.

Oratio

ADesto, Dómine, precibus pópuli tui cum sancti Heliodóri, Confessoris atque Pontíficis, patrocinio supplicantis: ut quod própria fidúcia non præsumit, ejus suffragantibus méritis, consequátur. Per Dóminum.

Et fit comm. Octavæ Ss. Petri et Pauli Apóstolo-

rum, ut 29 Junii. Dicitur etiam Credo, et Præfatio de eadem Octava.

DIE 12 JULII

Ss. HERMAGORÆ Ep.
et FORTUNATI Diac., Mm.,
Venetiarum Patronorum

Missa Intret, de Comm. plurium Martyrum, præter Orationes sequentes.

Oratio

DEUS, qui nos hodierna die beatórum Mátyrum tuórum Hermágoræ et Fortunáti múltiplici facis celebritate gaudere: tribue, quæsumus, eórum nos semper piis defensionibus muniri, et orationibus adjuvâri. Per Dóminum.

Et fiunt comm. S. Joannis Gualberti Abb., et Ss. Náboris et Felícis Mm., ut in Missali.

Secreta

MUnera humilitatis nostræ, quæ pro sanctorum Mátyrum tuórum Hermágoræ et Fortunáti gloriósa passióne et solemnitate offerimus, quæsumus, Dómine, cleméntiam tuam, respícere digná-

re: et ipsórum interces-
sione, tam ad profectum
vitæ, quam animæ, salutá-
ria nobis consuéta mise-
ratione provenire concéde.
Per Dóminum.

Postcommunio

SUméntes, Dómine, cæ-
léstis dona mystérii,
quæsumus: ut sanctórum
tuórum Hermágoræ et For-
tunáti adjuvémur méritis,
quorum solemnitátem ce-
lebrámus. Per Dóminum.

DIE 15 JULII

IN FESTO

SANCTISSIMI REDEMPTORIS

Introitus Is. 61.

GAudens gaudébo
in Dómino, et
exultábit ánima
mea in Deo meo:
quia induit me vestiméntis
salútis: et induménto justí-
tiæ circúmdedit me.

Ps. 88. Misericórdias Dó-
mini in ætérnum cantábo:
in generatióem et gene-
ratióem.

V. Glória Patri.

Oratio

DEus, qui Unigénitum
tuum mundi Redem-
ptórem constituísti, et per
eum, devícta morte, nos mi-

sericórditer ad vitam repa-
rásti: concéde; ut hæc be-
nefícia recoléntes, tibi per-
pétua caritate adhærere, et
ejúsdem redemptiόνis fruc-
tum percípere mereámur.
Per eúndem.

Et fit comm. S. Henríci
Imperatoris, Conf., ut in
Missali.

Léctio Epístolæ beáti Pauli
Apóstoli ad Ephésios.

Ephes. 1.

Benedíctus Deus, et Pa-
ter Dómini nostri Jesu
Christi, qui benedíxit nos
in omni benedictiόνe spiri-
tuáli, in cæléstibus in Chri-
sto, sicut elégit nos in ipso
ante mundi constitutióem,
ut essémus sancti et imma-
culáti in conspéctu ejus in
caritate. Qui prædestinávit
nos in adoptiόνem filiórum
per Jesum Christum in ip-
sum, secúndum propósitum
voluntátis suæ, in laudem
glóriæ grátiae suæ, in qua
gratificávit nos in dilécto
Fílio suo. In quo habémus
redemptiόνem per sángu-
nem ejus, remissióem pec-
catórum secúndum divítias

grátiae ejus, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia, et prudéntia: ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, secúndum beneplácitum ejus, quod propósuit in eo.

Graduale. Ps. 85. Omnes gentes quascúmque fecisti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine: et glori ficábunt nomen tuum. *V.* Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabilia: tu es Deus solus.

Allelúja, allelúja. *V.* Ps. 73. Deus autem, rex noster ante sácula: operátus est salútem in médio terræ. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Is. 53. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. *V.* Et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. *V.* Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras: attrítus est propter scélera nostra. *V.* Disciplína pacis nostræ su-

per eum: et livóre ejus sanáti sumus.

Tempore Paschali:

Allelúja, allelúja. *V.* Ave rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens, ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiónem. Allelúja. *V.* Tibi glória, hosánna: tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangelii secúndum Joánnem. Joann. 3.

IN illo témpore: Dixit Jesus Nicodémo: Nemo ascéndit in cælum, nisi qui descéndit de cælo, Fílius hóminis, qui est in cælo. Et sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto; ita exaltári opórtet Fílium hóminis: ut omnis, qui credit in ipsum, non péreat, sed habeat vitam ætérrnam. Non enim misit Deus Fílium suum in múnđum, ut júdicet múnđum: sed ut salvétur múnđus per ipsum. Qui credit in eum, non júdicá-tur: qui autem non credit, jam júdicátus est: quia non

credit in nómine unigéniti
Fílii Dei.

Credo.

Offertorium. Salus pó-
puli ego sum, dicit Dómi-
nus: de quacúmque tribu-
latióne clamáverint ad me,
exáudiam eos: et ero illó-
rum Deus in perpétuum,
allelúja.

Secreta

Suscipe, quæsumus, Dó-
mine, oblátum redem-
ptiónis æternæ mystérium:
et præsta; ut unigéniti Fílii
tui gloriósis méritis inter-
cedéntibus, vivíficet nòs
semper, et múniat. Per eúm-
dem.

Præfatio de Cruce.

Communio. Ps. 106. Con-
fiteántur Dómino miseri-
córdiæ ejus, et mirabilia
ejus filiis hóminum, allelúja.

Postcommunio

Corporis tui sacri, ac
pretiósí sánguínis,
quo redémpti sumus, Dó-
mine Jesu Christe, partici-
pes effécti: quæsumus; ut
in nobis tua múnera tueá-
ris, atque a præsentis vitæ
malis eréptos, ad bona per-
dúcas sempitérna: Qui vi-
vis.

DIE 17 JULII

In Translatione

S. MARINÆ Virginis,
Venetiarum Patronæ

Missa Dilexísti, de Comm.
Virg. præter Orationes se-
quentes.

Oratio

Concède, quæsumus,
Dómine, ut; suffra-
gántibus précibus beátæ
Marinæ Vírginis, cujus
Translationis memóriam
cólimus, ab ómnibus libe-
rémur angústis. Per Dó-
minum.

* Et fit comm. S. Aléxii
Conf., ut in Missali.

Secreta

Sacri nos, Dómine, mú-
neris opératio mundet
ac rénovet: et, interve-
niénte beáta Marina Vír-
gine tua, donis sóciet sem-
pitérnis. Per Dóminum.

Postcommunio

Sacris cælestibus, Dó-
mine, vítia nostra pur-
géntur: ut, contra spiri-
tuáles nequítias pugnatúri,
précibus beátæ Marinæ
Vírginis tuæ, continétiæ
muniámur auxiliis. Per Dó-
minum.

DIE 20 JULII

Pro Commemoratione
S. MARGARITÆ Virginis
et Martyris

Oratio


DEus, qui beátam Margarítam Vírginem, per martýrii palmam, tui regni fecísti consórtem: concéde nobis, quæsumus: ut per ejus exémpa ad te pervenire mereámur. Per Dóminum.

Secreta

Oblatióibus nostris, quæsumus, Dómine, placáre suscéptis: et intercedénte beáta Margaríta Vírgine et Mártire tua, ad te nostras rebélles compélle propítius voluntátes. Per Dóminum.

Postcommunio

Tua nos, quæsumus, Dómine, sancta puríficent: et, intercedénte beáta Margaríta Vírgine et Mártire tua, operatióne sua tibi plácitos esse perfícient. Per Dóminum.



DIE 22 JULII

Pro Commemoratione
B. AUGUSTINI DE BUGELLA,
Confessoris

Oratio

DA nobis, quæsumus, Dómine Jesu, beáti Augustíni Confessóris tui, méritis et imitatióne, ita carnis desidéria per pœniténtiam exstíngere; ut in tua semper gratia et cognitióne crescámus. Qui vivis.

Secreta

FAc nos, omnípotens Deus, immaculátam hóstiám eo tibi accénsæ devotiónis afféctu sacráre, quo beátus Conféssor tuus Augustínus in ea immolánda flagrábat: ut digne majestáti tuæ serviétes, optáta indulgéntiæ tuæ múnera consequámur. Per Dóminum.

Postcommunio

Angelórum pane reféc-tos, clementíssime Deus, éxcitent nos júgiter beáti Augustíni Confessóris tui salutária exémpa, et pia intercésio: ut infínitam bonitátem tuam usque

ad mortem laudare; ac perfecta tandem caritate, perennique canticum in caelis prosequi valeamus. Per Dominum.

FESTA AUGUSTI

DIE 16 AUGUSTI

IN FESTO

S. ROCHI Confessoris,
Venetiarum Patroni

Missa Justus, de Comm.
Conf. non Pont., 2. loco, praeter
Orationes sequentes.

Oratio

Populum tuum, quaesumus, Domine, continua pietate custodi: et beati Rochi suffragantibus meritis, ab omni fac animae et corporis contagione securum. Per Dominum.

Dicitur Credo, ratione
Octavae Assumptionis B.
Mariae Virg., de qua etiam
Praefatio.

Secreta

Praesta nobis, quaesumus, omnipotens Deus: ut nostrae humilitatis oblatio, et pro tuorum tibi grata sit honore Sanctorum, et nos corpore pariter et mente purificet. Per Dominum.

Postcommunio

Quaesumus, omnipotens Deus: ut qui caelestia alimenta percipimus, intercedente beato Rocho Confessore tuo, per haec contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

DIE 18 AUGUSTI

Pro Commemoratione
S. HELENÆ Imperatricis,
Viduae

Oratio

Domine Jesu Christe, qui locum, ubi crux tua latebat, beatae Helenae revelasti, ut per eam Ecclesiam tuam hoc pretioso thesauro ditares: ejus nobis intercessione concede; ut vitalis ligni pretio, aeternae vitae praemia consequamur: (Qui vivis).

Secreta

Per haec sacra mysteria concede nobis, Domine: ut sicut beatae Helenae misericorditer tribuisti, ut Filium tuum crucifixum in corde semper gestaret; ita et nos eum in cordibus nostris perpetuo deferamus. (Per eundem Dominum).

Postcommunio

Concède nobis, miséricors Deus: ut qui salutiferæ crucis tuæ fructu in terra sumus recreāti, per intercessionem beátæ Hellenæ eódem júgiter pérfrui mereámur in cælis: (Qui vivis).

DIE 26 AUGUSTI
B. PETRI ACOTANTO,
Confessoris,
Venetiarum Patroni

Missæ Os justi, de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem sequentem.

Oratio

Domine Jesu Christe, veræ caritátis exemplar, qui beátum Petrum Confessórem tuum, terrenas divítias per manus páuperum in cælestes thesauros deportáre docuísti: da nobis fámulis tuis, ut, per ejus vestígia gradiéntes, ad promíssa misericórdibus præmia pervenire valeámus. Qui vivis.

Et fit comm. S. Zephyríni Papæ et Martyris, ut in Missali.

Evangelium Nolíte timére, ut in Missa Justus, 2. loco.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE 1 SEPTEMBRIS

B. JULIANÆ DE COLLALTO,
Virginis

Missæ Dilexisti, de Comm. Virg., præter Orationem sequentem.

Oratio

Deus, qui dispositióne mirábili beátam Juliánam Vírginem tuam, a prima ætáte grátiae ubertáte prævéntam, mira innocéntia, et contemplatiónis dono decoráre dignátus es: ejus méritis et intercessióne concède: ut tibi in terris fide et caritáte conjúcti, ad contemplándam in cælis spéciem tuæ pulchritúdinis perducámur. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Ægíidii Abb. Orationes dicuntur ut in Missa Os Justi, de Comm. Abbatum.

Deinde comm. Ss. duodecim Fratrum Mm., ut in Missali.



DIE 5 SEPTEMBRIS
IN CATHEDRA
S. LAURENTII JUSTINIANI
Episcopi et Confessoris,
Protopatriarchæ
et Compatroni Principalis
Venetiarum

Missa ut die natali ejusdem, 8 Januarii, 8.

Fit tamen comm. B. Gentilis a Mathelica, Mart., ut infra, et dicitur Credo.

Pro B. GENTILE Martyre

Oratio

TE, Dómine, quæsumus, ut ex ore nostro incessanter tibi láudes perficias, qui beáto Gentili Mátyri tuo ad infidélium conversiónem linguárum donum indidisti. Per Dóminum.

Secreta

ACcépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte deférrur. Per Dóminum.

Postcommunio

Refécti participatióne múnieris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedente beáto

Gentile Mátyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

In Patriarchali Basilica S. Marci, et in Basilica S. Petri de Castello in Missa solemni hæc Commemoratió omittitur.

DIE 23 SEPTEMBRIS

Pro Commemoratióne
S. CONSTANTII Confessoris

Oratio

DEus, qui beátum Constantium Confessorem tuum magnum foris in miraculis, et majórem intus in cordis humilitate fecisti; divinis nos, quæsumus, intérius exteriúsque instrue disciplinis, ut, bonórum óperum lámpade ardente, Christo Dómino læti occurrere valeámus. (Qui tecum vivit).

Secreta

PRæsta nobis, quæsumus, omnipotens Deus: ut nostræ humilitatis oblatio, et pro tuórum tibi grata sit honóre sanctórum, et nos corpore páriter et mente puríficet. (Per Dóminum).

Postcommunio

QUæsumus, omnipotens Deus: ut qui cælestia aliménta percépimus, intercedente beáto Constantio Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. (Per Dóminum).

DIE 24 SEPTEMBRIS

S. GERARDI SAGREDO,
Episcopi et Martyris

Missa Státuit, de Comm. unius Mart. Pont., 1. loco, præter Orationem sequentem.

Oratio

DEus, qui beátum Gerárdum Pontíficem agóne martýrii et stola immortalitátis coronásti: concede propítius; ut, cujus memóriam devótis méntibus celebrámus in terris, ejus perpétua defensióne muniámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit comm. B. Mariæ Virg. de Mercede, ut in Missali, ac dicitur Credo, nec non Præfatio de Beata: Et te in festivitáte.

FESTA OCTOBRIS

DIE 6 OCTOBRIS

S. MAGNI

Episcopi et Confessoris,
Venetiarum Patroni


Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont., 1. loco, præter Orationem sequentem.

In Patriarchali Basilica dicitur Credo.

Oratio

ADesto, Dómine, supplicatióibus nostris: et beáti Magni Confessoris tui atque Pontíficis intercessiúnibus confidentes: nec minis adversántium, nec ullo conturbémur incúrsu. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Brunónis Conf., ut in Missali.



FESTA NOVEMBRIS

DIE 5 NOVEMBRIS

S. ZACHARIÆ

Patris S. Joannis Baptistæ,
Confessoris

Introitus Ps. 36.



S justi meditabitur sapiëntiam, et lingua ejus loquétur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius.

Ps. ibid. Noli æmulári in malignántibus: neque zelaveris faciéntes iniquitátem.

℣. Glória Patri.

Oratio

Vigeat, quæsumus, Dómine, semper in córdibus nostris divínæ tuæ præsentíæ memória, beáti Zachariæ sanctíssimi Præcursóris tui Patris suffragántibus méritis: ut te super ómnia diligéntes, ad promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, sine offensióne currámus: Qui vivis.

Et fit comm. Octavæ Omnium Sanctorum, ut in Missali.

Léctio libri Sapiëntiæ.

Eccli. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perfectus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit transgredi, et non est transgressus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illius in Dómino, et elemósynas illius enarrábit omnis Ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentationem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet coronam vitæ. Allelúja.



Inítium sancti Evangelii secúndum Lucam. Luc. 1.

Fuit in diébus Heródis, regis Judææ, sacerdos

quidam nómine Zacharías, de vice Abía, et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elísabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in ómnibus mandátis et justificatióibus Dómini sine queréla, et non erat illis fílius, eo quod esset Elísabeth stérilis, et ambo processissent in diébus suis. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in órdine vicis suæ ante Deum, secúndum consuetúdinem sacerdotii, sorte éxiit, ut incensum póneret, ingressus in templum Dómini: et omnis multitúdo pópuli erat orans foris hora incénsi. Appáruit autem illi Angelus Dómini, stans a dextris altáris incénsi. Et Zacharías turbátus est, videns, et timor írruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne tímeas Zacharía, quóniam exaudíta est deprecátió tua: et uxor tua Elísabeth páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joán-nem: et erit gáudium tibi, et exultátió, et multi in nativité ejus gaudébunt: erit enim magnus coram Dómino: et vinum, et síceram

non bibet, et Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ: et multos filiórum Israél convértet ad Dóminum Deum ipsórum: et ipse præcedet ante illum in spíritu, et virtúte Eliæ: ut convértat corda patrum in filios, et incredulos ad prudéntiam justórum, paráre Dómino plebem perfectam.

Dicitur Credo, ratióne Octavæ.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

ANte óculos tuos, Dómine, hóstiam salutárem offérimus humíliter deprecántes: ut per beáti Zachariæ sanctíssimi Præcursóris tui Patris mérita, fiat nobis tuæ dilectiÓNis signum ætérnum: Qui tecum vivit.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum.

Postcommunio

Perfice, quæsumus, Dómine, in honórem beáti Zachariæ sanctíssimi Præcursóris tui Patris munus oblátum: ut quod nostra peccáta præpédiunt, ipso pro nobis intercedente, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret: Qui vivis.

DIE 6 NOVEMBRIS
SACRARUM RELIQUIARUM
quæ in Ecclesiis Diæceseos
asservantur

Introitus Ps. 33.



Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberábit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur.

Ps. ibid. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo.

℣. Glória Patri.

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectionis fidem, qui in Sanctórum tuórum reliquiis mirabilia operáris: et fac nos immortalis

glóriæ partícipes; cujus in eórum cinéribus pínora venerámur. Per Dóminum.

Et fit comm. Octavæ Omnium Sanctórum, ut in Missali.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44.

HI viri misericórdiæ sunt, quórum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bōna, heréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et filii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatióem et generatióem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum nuntiet Ecclésia.

Graduale. Ps. 149. Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis.

℣. Ps. ibid. Cantáte Dómino cánticum novum, laus ejus in ecclésia sanctórum.

A llelúja, allelúja. ℣. Ps. 67. Justi epuléntur, et ex-

súltent in conspéctu Dei:
et delecténtur in lætítia.
Allelúja.



Sequéntia sancti E-
vangélii secúndum
Lucam. Luc. 6.

In illo témpore: Descén-
dens Jesus de monte, ste-
tit in loco campéstri, et
turba discipulórum ejus, et
multitúdo copiósa plebis
ab omni Judæa, et Jerúsa-
lem, et marítima, et Tyri,
et Sidónis, qui vénerant, ut
audírent eum, et sanarén-
tur a languóribus suis. Et
qui vexabántur a spirítibus
immúndis, curabántur. Et
omnis turba quærébat eum
tángere: quia virtus de illo
exíbat, et sanábat omnes.
Et ipse elevátis óculis in
discípulos suos, dicébat:
Beáti páuperes: quia ve-
strum est regnum Dei. Beáti
qui nunc esurítis: quia sa-
turabímini. Beáti qui nunc
fletis: quia ridébitis. Beáti
éritis, cum vos óderint hó-
mines, et cum separáverint
vos, et exprobráverint, et
ejécerint nomen vestrum
tamquam malum, propter
Fílium hóminis. Gaudéte
in illa die, et exsultáte:

ecce enim merces vestra
multa est in cælo.

Credo.

Offertorium. Ps. 67. Mirá-
bilis Deus in sanctis suis:
Deus Israël ipse dabit vir-
tútem, et fortitúdinem plebi
suæ: benedíctus Deus, al-
lelúja.

Secreta

Implorámus, Dómine, cle-
méntiam tuam: ut Sanc-
tórum tuórum, quórum re-
líquias venerámur, suffra-
gántibus méritis, hostia,
quam offérimus, nostrórum
sit expiátio delictórum. Per
Dóminum.

Communio. Ps. 32. Gau-
déte justi in Dómino: rec-
tos decet collaudátio.

Postcommunio

Múltiplica super nos,
quæsumus, Dómine,
per hæc sancta, quæ súmp-
simus, misericórdiam tuam:
ut sicut in tuórum solemni-
táte Sanctórum, quórum
relíquias cólimus, pia devo-
tíone lætámur; ita eórum
perpétua societáte, te lar-
giénte, fruámur. Per Dó-
minum.

DIE 10 NOVEMBRIS

IN FESTO

S. THEODORI

Militis Amaseæ, Mart.,
Venetiæ Patroni

Missa Lætábitur, de
Comm. unius Mart. non
Pont., 2. loco, præter Ora-
tiones sequentes.

In Patriarchali Basilica
dicitur Credo.

Oratio

DEUS, qui nos beáti
Theodóri Mártyris
tui confessióne gloriósa cir-
cúmdas et prótegis: præsta
nobis ex ejus imitatióne
profícere, et oratióne fulcírí.
Per Dóminum.

Et fit comm. S. Andréæ
Avellini, Conf.

Oratio

DEUS, qui in corde beati
Andréæ Confessóris
tui, per arduum quotidie in
virtútibus proficiéndi vo-
tum, admirábiles ad te
adscensiónes disposuísti:
concéde nobis, ipsíus mé-
ritis et intercessióne, ita
ejúsdem grátiae partícipes
fieri; ut perfectióra semper
exsequéntes, ad glóriæ tuæ

fastígium felíciter perducá-
mur. (Per Dóminum).

Deinde in Missa privata
fit quoque comm. Ss. Try-
phónis, Respíci et Nym-
phæ Virg., Martyrum.

Oratio

FAC nos, quæsumus, Dó-
mine, sanctórum Már-
tyrum tuórum Tryphónis,
Respíci et Nymphæ sem-
per festa sectári: quorum
suffrágiis protectiónis tuæ
dona sentiámus. Per Dó-
minum.

Secreta

SUScipe, Dómine, fidé-
lium preces cum obla-
tiónibus hostiárum: et in-
tercedénte beáto Theodóro
Mártyre tuo, per hæc piæ
devotiónis officia ad cælé-
stem glóriam transeámus.
Per Dóminum.

Pro S. Andrea Avellino, Conf.

Secreta

LAUDIS tibi, Dómine,
hóstias immolámus in
tuórum commemoratióne
sanctórum: quibus nos et
præséntibus éxui malis
confidimus, et futúris. (Per
Dóminum).

Pro Sanctis Martyribus

Secreta

MUnera tibi, Dómine, nostræ devotiõnis offerimus: quæ et pro tuorum tibi grata sint honore justorum, et nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dóminum.

Postcommunio

PRæsta nobis, quæsumus, Dómine: intercedente beato Theodóro Mártire tuo; ut quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dóminum.

Pro S. Andrea Avellino, Conf.


Postcommunio

REfecti cibo potúque cælesti Deus noster, te supplices exoramus: ut in cuius hæc commemoratiõne percépimus, ejus muniámur et precibus. (Per Dóminum).

Pro Sanctis Martyribus

Postcommunio

HÆc nos commúnio, Dómine, purget a crimine: et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Tryphóne, Respicio et Nympha, cælestis remédii faciat esse consórtes. Per Dóminum.




INDEX MISSARUM ET COMMEMORATIONUM
 ARCHIDIOECESIS VENETIARUM
 ALPHABETICO ORDINE DISPOSITUS

Missæ et Commemorationes quorundam festorum sumendæ ex Missali vel ex Communibus Sanctorum, nec non Missæ et Commemorationes ex hac Appendice sumendæ diebus infra Octavas ac diebus Octavis, et in hoc "Proprio Missarum," non descriptæ, indicantur sua quaque die in Calendario Diocesano.

Aniani Ep. et Conf. Translatio	2 Decembris	Pag. 7
Augustini de Bugella, Conf., Ord. Præd.	22 Julii	" 34
Barbaræ Virg. et Mart.	4 Decembris	" 7
Bonaventuræ Tornielli, Conf., Ord. Servor. B. M. V.	31 Martii	" 18
Constantii Anconæ, Conf.	23 Septembris	" 37
Cordis Sacratissimi Jesu	Feria VI post Oct. SS. Corp. Christi	" 24
Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani, Conf. Inventio	19 Februarii	" 17
Fortunati Diac., Mart., una cum Herma- gora Ep. et Mart.	12 Julii	" 30
Fuscæ Virg. et Mart., una cum Maura Mart.	13 Februarii	" 15
Gentilis a Mathelica, Mart., Ord. Min.	5 Septembris	" 37
Gerardi Sagredo, Ep. et Mart.	24 Septembris	" 38
Gregorii Barbarigo, Ep. et Conf.	18 Junii	" 29
Helenæ Imperatricis, Vid.	18 Augusti	" 35
Heliodori Ep. et Conf.	3 Julii	" 30
Hermagoræ Ep. et Mart., una cum For- tunato Diac., Mart.	12 Julii	" 30
Isidori Chiensis, Mart. Translatio	16 Aprilis	" 19
Jacobi Salomonio, Conf.	31 Maji	" 24
Joannis Eleemosynarii Ep. et Conf.	23 Januarii	" 11
Joannis Marinoni, Conf.	14 Decembris	" 8
Joannis Nepomuceni, Presb. et Mart.	16 Maji	" 22
Julianæ de Collalto, Virg.	1 Septembris	" 36
Laurentii Justiniani, Ep. et Conf. Dies Natalis	8 Januarii	" 8
Laurentii Justiniani, Cathedra	5 Septembris	" 37

Magni Ep. et Conf.	6 Octobris	Pag. 38
Marci Evangelistæ Translatio	31 Januarii	" 12
Marci Evangelistæ Dies Natalis	25 Aprilis	" 20
Marci Evangelistæ Apparitio	25 Junii	" 29
Margaritæ Virg. et Mart.	20 Julii	" 34
Marinæ Virg. Translatio	17 Julii	" 33
Mauræ Mart., una cum Fusca Virg. et Mart.	13 Februarii	" 15
Pauli Constantinopolitani, Mart.	17 Martii	" 18
Petri Acotanto, Conf.	26 Augusti	" 36
Petri de Pisis, Conf.	17 Junii	" 27
Petri Urseoli, antea Ducis, deinde Monachi, Conf.	15 Januarii	" 10
Redemptoris	15 Julii	" 31
Reliquiarum quæ in Ecclesiis Diocesens asservantur	6 Novembris	" 41
Rochi Conf.	16 Augusti	" 35
Sabbæ Abb.	5 Decembris	" 8
Theodori Ductoris Militum Heracleæ in Ponto, Mart.	7 Februarii	" 14
Theodori Militis Amasæ, Mart.	10 Novembris	" 43
Zachariæ Patris S. Joannis Baptistæ, Conf.	5 Novembris	" 39







VENETIIS
TYPIS ÆMILIANIS
MCMXVI.